

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sacra Paschalia Pie Celebranda Indicit Academia Ienensis
Praemittitur de continuatione identitatis in vita futura**

Officina Fickelscherriana Officina Fickelscherriana

Ienae, [MDCCLXXXI?]

[Sacra Paschalia Pie Celebranda Indicit Academia Ienensis Praemittitur de
continuatione identitatis in vita futura; Commentatio 2.]

urn:nbn:de:gbv:45:1-9673

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS



§. XI.

Quam haëtenus vfu loquendi duce identitatis infor-
mauimus notionem, vt nimirum in *continuatione*
existentiae tota posita fit, iam ad ea, quae statum
hominis post mortem propius tangunt accommo-
dare nos accingimus. In quo quum personalitatis potissimum sit
habenda ratio, et huic iam conceptui, eam, quam fundamenti
loco posuimus, definitionem adplicari curauimus, vt nostro qui-
dem iure *eandem* censere nobis liceat personam, quae ens intelli-
gens esse nondum cessauerit. Quae huic sententiae firmamenta ad-
hibuimus, vtut bene se habeant, tamen noua ab aduersariis iniri
solet ratio, qua nostram oppugnent mentem, vt scilicet in eum,
qui post hunc in terris statum futurus est, scenam transferant,
atque ex iis, quae de hoc futuro nobis innotuerunt statu, noua
contra nos praesidia quaerant. Quibus vt non solum occurrere-
mus, nostramque defendendo tueremur sententiam, sed infesti
prodiremus, atque ex iis ipsis, quae contra nos parata fuissent,
nobis

nobis arma ac propugnacula defumeremus, constitutum est nobis, ut pressis aduersariorum vestigiis, in ipsam, quae arx ipsorum est, argumentandi rationem ingrediamur. Quae quum in eo potissimum sit posita, ut iustitiae, maiestati ac gloriae summi numinis suam apprime sententiam conuenire, nostram repugnare, adfirmet, id nobis inprimis dispiciendum erit, num, quod criminationes hasce confirmare possit, in nostra aliquid lateat sententia, an potius, quae dignitatem et sapientiam summi rerum moderatoris commendare valeant, ex nostris praecipue conceptibus sint haurienda.

§. XII.

Tam quum inter nos atque illos, qui contrariam sententiam tuentur, id potissimum intersit, ut illi *memoriam* ad identitatem personae necessariam iudicent, nos haud ita; dispiciendum erit *primum*, num memoriae solus character sufficiat ad ea stabilendum, quae de vitae alterius conditione credimus atque docemus, an accedere debeat, quod hunc characterem vnicum esse vetet; *tum* an non forte id ipsum, quod necessario accedere debet, ad identitatem personae constituendam, illisque, quae tradi solent de vita futura, satisfaciendum sufficiat. Quae quo distinctius tradantur, classes quasdam eorum, qui contra nos sentiunt, constituere placent; quorum pars nulli in vita altera identitate personarum locum relinquit, eam ipsam ob causam, quia memoria ultra fines huius terrestri vitae continuari nequeat, pars identitatem continuatam admittit, nullam vero aliam ob causam, praeterquam quod memoria post mortem continuari possit ac debeat. Duplex sibi inuicem prorsus aduersum aduersariorum genus, quorum quasi medium sententia nostra locum tenet, quippe quae memoriam continuari lubens concedit, at vero neque ab hac identitatem pendere, neque si fieri possit, ut illa pereat, hanc simul cum illa necessario concidere, affirmat.

§. XIII.

Quod primum attinet illorum, de quibus diximus, genus, ex mentis humanae natura eiusque cum corporis nexu desumunt, quibus



quibus memoriam ad corpus pertinere, ideoque cum corpore necessario perituram esse, demonstrent. Nempe et morbis deilitari memoriam, et cum imaginatione, quae corporis habitu, victu etc. regatur tota, arctissime contineri, ut hae sublata, illa non tolli nequeat, et saepe iam hac in vita diuersas aetates diuersis obiectorum generibus reseruandis imprimis aptas esse, extremam tandem aetatem omni fere, utut fortiter sint impressae, praeteritarum rerum recordatione carere, quae quomodo redire ac totius corporis interuentione recuperari possit, nulla ratione pateat. Quodli igitur alterum post hanc vitam statum futurum esse, concedendum sit, hunc tamen ab hoc in terris habitu ita prorsus esse separandum, ut eorum, quae ad hominem hac in vita pertinebant, nihil, nisi quod intimius animo inhaereat, aequae corporis influxu nulla ratione pendeat, cum ipso in futurum statum transitorium censendum sit. Ideo nec laudibus neque vituperationi, propter quae in his terris admiranda vel vituperanda gesserit, obnoxium fore, neque Deum si punire voluerit delicta, quae hac in vita commissa fuerint, ab iniustitiae crimine liberari posse, quippe qui illum, cui nihil mens praesagiat mali, qui nullius facinoris commissi sibi sit conscius, poenis adficiat. Quid ipsas peccatorum naturales consequentias, quae intimiori forte animi parti adeo fuerint iniusta, ut per omnia temporis momenta perque omnes statuum vicissitudines hominem prosequerentur, vix permittiturum esse summum numen, ut continuentur, illumque, quem causa harum perturbationum, quae animum suum occuparent, prorsus lateret, qui nec in se, nec in alios harum culpam transferre posset, continuis vexationibus ingratisque sensationibus excrucient. Ita potius censendum esse, fore ut summum numen istas, quarum sublata est causa, curas menti eripiat, sicque animum renouet totum ad nouam existentiam; ut concessa mentis immortalitate, nouus orbis, nouum genus creaturarum, noua hominum ingenia, quibus terrestribus nihil adpersum foret, concipi debeat; sin minus, immortalitatis ac futurae existentiae spes omnis concidat.

Quae ratio, quam sit cunctis Scripturae sacrae effatis, quam omni cuiuscunque generis religioni, aduersa; quam omne virtuti
in

in hisce terris decus, omnem sceleri timorem, eripiat; quam ab omni futurae vitae respectu mentem auertat, perspicuum est, quum virtuti ac nequitiae eundem exitum significet. Nos vero ne a proposito nostro longius aberrare cogamur, quae ad diluendas hasce pertinent argumentationes in vltimam disquisitionis nostrae partem referuantes, ad eorum nos conuertimus sententiam, qui tam nefandorum confectariorum nihil admittendo tamen a ratione, qua futuram cum hac in terris vita nos connectimus, abhorrent.

§. XIV.

Estque ipsorum, quae ex illa, quam modo explicauimus, illustrari potest, haec sententia, vt futurum cum hoc nostro statu arctissimo iungant nexu, cuius tamen nexus vinculum *omne ac totum* in memoria ponunt. Quam si necessario sublatam fore argumentis euinci queat, tunc omnem, qui inter hanc et futuram vitam intercedit, nexum causalem abscissum fore, concedunt; quod tamen quum nulla satis firma ratione euinci possit, influxum huius terrestris vitae in alteram existentiae nostrae partem animi desiderii religionisque praeceptis credunt. Ita fore, vt animus corpori superstes transeat in aliam conditionem; vt sui tam praeteriti quam praesentis status sibi conscius sit; vt nihil eorum, quae recte, quae scelerate gesserit, ex animo elabatur; vt quas summi numinis iustitia poenas ipsi infligat, sibi suisque meritis congruas esse, cognoscat, et recte factorum praemia, cur sibi tribuantur, intelligat; vt tandem naturales boni malique consequentias sibi suaeque in terris vitae rationi iusto modo tribuat, atque designet. Ex quibus consequens fore, vt nullus nisi conuictus peccator irae diuinae victima cadat, vt quaelibet mens humana dum corpus deserit, quae ipsi sit expectanda iudicis sententia, praesentiscere possit, vnde futurum sit, vt lata quanquam nondum sententia, timor tamen horrorque futuri supplicii in summos sceleratum angores coniiciat, contra praemiorum, quae mens conscia recti ipsi praefagit, dulci spe animus iusti ac probi exhilaretur, quo facto hic spe sua fretus antequam ipsa ipsi largiantur praemia iam beatus censendus sit, ille desperationis vltimos sentiat cruciatus, quumque ad tribu-



nal iustissimi accedat, montium atque collium ruinae immisceri cupiat; quae omnia sacrarum litterarum effatis vehementer sint consentanea. Porro insistant quaerendo, quomodo quis cum sensu scriptorum sacrorum eam conciliare audeat sententiam, quae hominem oblitum sui suarumque actionum in terris poenas tamen earum daturum adfirmit; quomodo in suis quisque praemiis ac poenis agnoscere possit sapientiam ac iustitiam diuinam, si qua re meruerit haec supplicia, quodnam ob benefactum tanta in ipsum cumulentur gratiae diuinae dona, ignoret; quomodo diues ille in parabola Christi in sua sorte inque iudicio diuino inter se atque Lazarum acquiescere potuerit, si nihil a se commissum, quod tam diuersam a Lazari sorte fortunam meruerit, recordatus fuisset; id ipsum denique, quod de *παρρησία* in die iudicii atque opposito animi motu in sceleratis loquatur scriptura, quomodo locum habere possit, nisi vterque eorum sibi conscius foret, quae vel supplicia vel praemia ipsum expectare iuberent.

§. XV.

Quae omnia vtut bene se habeant, atque non speciem solum prae se ferant veritatis, sed veritatem ipsam exhibeant, ad sententiam tamen nostram euertendam minus valere poterunt, si demonstratum fuerit, totam hanc argumentandi rationem per se firmam ac stabilem, ad ea, quae a nobis in medium prolata sunt, minus pertinere. Nos enim quum tantum absimus ab eorum sententia, qui memoriam cum corpore perire docent, vt istorum adeo refellere opinionem conemur; qui praesentem futurae vitae arctissimis vinculisnectere operam demus; tamen, quae hunc nexum constituent, ad memoriam pertinere omnia haud continuo ex ista argumentatione sequi, contendimus. Isti nimirum, quam sit memoriae iactura valde extimescenda, quantum hac sublata ordini rerum maiestatique diuinae decus eripiatur, bene profecto atque egregie docent. Nos vero assertionibus hisce num aduersamur? Si *eundem* censemus illum, cuius continuata sit existentia ex hac in alteram vitam, si salua identitate memoriam perire *posse* contendimus, num ideo *perire debere*, si idem subiectum manere debeat,

beat, adfirmamus? Memoriam haud pertinere ad identitatis notionem censemus, ideone eiusmodi esse, quod ipsi repugnet, neque una cum ipsa consistere possit, existimamus? Virtutem diuitiis contineri, ut alterutra sine altera esse non possit, quis est, qui adfirmet? Ex quo tamen haud sequitur diuitias excludere virtutem, vel virtutem repugnare diuitiis. Ita et nos memoriam cum identitate consistere posse, utique concedimus, alteram in altera contineri, negamus.

Quo igitur aduersariorum sententiam ita illustremus, ut iam non *diuersa* a nostra, sed eidem *opposita* appareat, fingendi erunt casus, in quibus aut memoria sine identitate, aut identitas sine memoria possitne existere, nec ne, quaeri possit; vel dispiciendum erit, quid eiusmodi homines, qui memoriam in statum futurum transire aut plane negant, aut ex parte tantum concedant, quid illos de identitate, de imputatione, de praemiis ac poenis statuere fas sit.

Hac igitur ratione instituamus disputationem, ut *primo* poenas ac praemia spectemus, quae *positiua* vocantur, quatenus demta existentiae eiusdem continuatione, vel demta memoria locum habere queant; *tum de naturalibus* rerum consequentiis simili modo statuamus.

§. XV.

Omnes res creatas causalitatis perpetuo iunxit vinculo summi numinis sapientia, ut nihil in vniuerso accidere possit mundo, quod ad omnes eiusdem mundi partes quantumvis distantes ac separatas haud pertineat. Summo haec thesis rigore, nec vlla infirmata exceptione probanda, adeo nobis persuasa est, ut geometricam eius demonstrationem, quanquam eius, quod haec requirat, haud ignari, suscipere haud recusemus; quae huic tamen loco ac fini parum idonea foret. Istuc tantum ex generali illo dogmate hic nobis desumere liceat, nullam ab homine perpetrari posse actionem, nullum exeri conatum, consilium iniri nullum, cuius ad illum ipsum, qui eius causa fuit, consequentiae haud aliquando redundent. Istae siue ad voluptatem, siue ad dolorem spectent, consequen-

quentiae in decretis diuinis aeternis propter praescientiam diuinam
vtrique continentur; ideoque nec insciens neque minus curante
summo numine euenire possunt. Ergo Deus aut promouere eas-
dem, aut permittere statuerit, necesse est; si enim neutrum horum
locum haberet, ad existentiam peruenire haud possent, sed infinita
vi summi numinis prohiberentur. Quod si Deus siue permittere,
siue promouere decreuerit, causa huius adfit decreti in intelligentia
summi numinis, necesse est. Causa haec, quae efficit, ut consi-
lium ac decretum diuinum istas huius actionis consequentias in
auctorem redundantes, permittat, siue ad *moralitatem* huius facti
neutiquam spectat, siue eius una cum aliis considerationibus ratio-
nem habet. Si *prius*; hoc est, si facti huius eadem plane futura
fuisse consequentia haec, siue bono siue malo auctoris consilio
perpetratum fuisset, ut si imprudens, infans, aliquid, quod *adiaz-
Qopov* ipsi videbatur, egisset; tunc facti huius *consequentia natu-
ralis* vocatur, non eo sensu vocabuli, quo euentus naturalis oppo-
nitur miraculo, sed eo, quo a praemiis ac poenis caetera, quae
actionem insequuntur, distingui solent. Nostro enim, quem hic
sumimus, vocis sensu consequentia naturalis et cum miraculo con-
sistere potest, hac nimirum ratione, ut Deus earum actionum,
quae neque poenas nec praemia merentur, alias ob causas mira-
culoso suo interuentu consequentias dirigere ac mutare possit, se-
cundum quod summae suae sapientiae visum fuerit. Si *posterius*,
id est, si inter innumeras forte causas atque respectus, propter
quae hanc facti huius consequentiam permittere vel promouere
statuisset Deus, unum reperiatur atque alterum, quod ad consilium
auctoris huius facti spectet, ut praeter alias rationes, hanc volu-
ptatem vel hunc dolorem in hunc hominem redundare patiatur
Deus vel efficiat eam ob causam, quod bene vel peruerse egerit,
tunc, quatenus consilium Dei de permittenda vel promouenda hac
consequentia a moralitate ipsius facti pendet, eatenus dicitur *posi-
tius* quid; distribuiturque in praemia ac poenas. Quae igitur haud
semper immediate a Deo proficisci censenda sunt, sed euentus pla-
ne naturales in viribus rerum creaturarum ac mundi omnimode positi
tamen per praescientiam curamque Dei praedeterminantem in positi-
uorum locum succedere, ac merito pro positiuis agnoscere possunt.
Fieri

Fieri enim potest, ut Deus huic homini praemium vel poenam decreturus fuisset, nisi ex hoc, quod praemium vel poenam meretur, facto idem prouenturum eodemque tempore in hominem casurum praeuidisset, quo, ipsi positiui quid decreuisset; vel fieri potest, ut dum vniuersi omnium rerum nexus stamina quasi efficeret Deus, iam tum praeuideret, fore ut Caius hac actione peccet, ideo iam tum omnia ita connexuerit, ut ex ista actione mala atque dolores in Caium redundarent, quae forte ipsum haud tetigissent, nisi Deus factum eius prauumque in agendo consilium praeuidisset. Hanc ob causam quum naturali rerum ordini positiui quid saepe admixtum esse potest, fieri potest, ut homines in iudiciis suis hac in re saepius a vero aberrant, modo cuncta, quae acerba eueniunt, peccatis hominum adscribentes, modo omnibus, quae naturali rerum cursu adferuntur, characterem positiui denegantes; quarum qui mediam sententiam sequatur, sibi suisque rebus optime consulere videtur. Scripturae enim sacrae auctoritas haud obscure medium nos ingredi iubet iter, quippe quae cum coeci, quem Iesus sanabat, coecitatem nec ipsius, nec parentum eius peccatis tribuit, tum castigando, id est mala propter peccatum inferendo, Deum suos filios ad se trahere docet; licet amplissima generalissimaque manifestatio sapientiae diuinae in praemiis ac poenis positiuis distribuendis ad magnum illum iudicii diem sit reseruata.

Longum hic instituere atque arduam disquisitionem de eo, num et quatenus Deum deceat naturalibus praemiis ac poenis adiungere positiuas, a scopo nostro alienum videtur. Hoc monuisse sufficiat, quod naturales consequentiae factorum cum in ipsum auctorem, tum in caeteros sint illud, quod efficiat, ut peccatum sit peccatum, ut recte facta distinguantur a prauis; quod vero adiungitur positiuum, esse medium, quo sapientia summi numinis numerum peccatorum minuere, recte factorum augere, ipsarumque naturalium poenarum acerbiter lenire studeat. Quae quomodo recte concipiantur hic abs re est disquirere.



§. XVII.

Iam ut statim in eum ingrediamur locum, in quo triumphum maxime sibi tribuunt aduersarii, cogitationem age intendamus ad praemiorum poenarumque positiuarum rationem. Quae quomodo conferri possint in illum, qui eius facti, per quod haec meruerit, oblitus fuerit, nulla ratione cogitari potest. Quantaecunque fuerint sceleratissima hominis hoc in orbe terrarum facinora, si nullius eorum meminerit, quam iniuste videbitur sibi poena adfectus! Quantam illius cognosceret iniustitiam summi iudicis, qui ab ipso, cuius mens nullius peccati sibi conscia est, earum supplicia repetit actionum, quae a quonam mortalium sint perpetratae prorsus ignorat. Quam iusta e contrario summi numinis apparebit sententia, si eandem ipsa peccatoris conscientia confirmauerit!

Tantum huic argumentationi robur inesse videtur, ut saltem eorum, quae contra nos adferri possunt, vim haud dissimulasse, neque ex insidiis velut pugnare, videri debeamus. Verum enim vero si ad amissim reuocauerimus, apparebit fortasse in tota hac disquisitione nobis non minus, quam aduersariis, praesidii contineri.

§. XVIII.

Quae vero potissimum hic in censum veniunt, ad duas inprimis res redeunt. *Alteram*, ut sine memoriae interuentu eorum, quae ipsi ante gesserimus, notitia ad nos perueniri possit, quae aequae certa nobis fieri possit, ac illa ipsa per memoriam adquisita. *Alteram*, ut, quum propter varios fines praemia poenasque summum numen decreuerit, vnus tantum ex his, isque forte leuissimus, ad ipsum, quod poenarum ac praemiorum particeps fiat, subiectum pertineat; quid! eiusmodi casus esse possint, ut poenae vel praemii finis in quodam ente perficiatur, quanquam, cur haec ita ipsi contingant, plane sit ignarum, ideoque neque pro poenis neque pro praemiis ista, quae accidunt ipsi, agnoscat. Quarum observationum primam modo paucis illustrabimus, secundum ad continuationem huius disputationis reseruamus.

§. XIX.

§. XIX.

Fieri posse, ut facti cuiusdam nostri plane obliti, tamen, nos hoc factum perfecisse vel aliorum fidei credamus, vel ex circumstantiis ipsi colligamus, neminem fore puto, qui neget. Haec tamen recognitio, quam differat ab ipsa reminiscencia, vel ex eo intelligi potest, quod saepe ipsa reminiscencia hanc persuasionem sequatur, nosque tempus, quo incipiamus *recordari* eius, quod iam *cognovissemus*, observare possimus, quod fieri nullo modo posset, nisi mera recognitio a reminiscencia sensibili caractere distincta foret. Nihil igitur obstat, quo minus peccator, quorum oblitus fuerit peccatorum, nec ipsa *memoria* recolligere possit, eorum ab aliis notitiam accipiat, ideoque, quum *suam*, quae in terris peccaverit, *substantiam* fuisse, testibus, quorum fidem minuere haud possit, conuincatur; ab *ea substantia*, quae in terris peccaverit, Deum poenas repetere, mirari atque conqueri non possit; atque ita una cum sententia, quae ad supplicium perferendum ipsum condemnat, causam huius sententiae accipiat. Ut si quis in exilium actus, morbo quodam omni priuaretur memoria, ideo haud recipiendus foret in patriam, neque iniuste secum agi, quod eius finibus arceatur, queri posset, sed causam damnationis suae ab aliis percunctari, sententiae iustissime lata acquiescere iuberetur. Ergo ad iustitiam iudicis in sua condemnatione ab ipso reo agnoscendam haud necessario requiritur memoria.

Si vero fractam nondum deferere causam voluerint qui contra nos sentiunt, ulteriusque insistent adfirmando, sibi eiusmodi recognitionem loco esse memoriae, illaque ipsa hominis restitui identitatem, quaerere vellem ex ipsis, quid statuunt de illo, qui falsam sibi arrogauerit personam. Fieri omnino potest, ut in mentel captis videre licet, ut quis alterius facta sibi appropriet, aque se profecta esse, quae ille edidit tacinora, mira sibi persuadeat certitudine. Num hunc tam falsa fascinatam persuasionem ad cruciatum ad mortem rapi iubebunt, propter alterius delicta; num praemiis condecorandum censebunt propter quae ille

egregie



egregie gesserit? Hoc tamen ex ipsorum thesibus necessaria demonstratione conficitur. Si enim sola memoria constat identitas, quilibet is est, quem se esse fingit sibi, ideoque eo semper et ybique loco habendus est, quo is, cuius induit personam,

Labefactata sane videtur, et quidem a firmissima sui parte aduersariorum sententia, quam frangere iis, quae sequuntur, argumentationibus, opcam dabimus. — Iam CIVES moneamus, ut dies festos eo concelebrent cultu, quem summum a nobis exigit numen, ut dicti memores Paullini i Theff. V, 12: *ερωτωμεν δε υμας, αδελφοι, ειδεναι της κοπιωντας εν υμιν, και προϊσταμενης υμων εν κυριω, και υθετηντας υμας*; fidei suae refectisq; testimonium perhibeant. P. P. D. *xiv* Aprilis

MDCCCLXXI,

